

quod illi quos primos contra turchas ipsos arma capere sperabamus, nulla iniuria a nobis provocati, sed omnibus gratiis et beneficiis continue affecti, contra nos et hanc sanctam Sedem matrem suam insurgere ac bellum inferre impie temereque præsumperunt. Si quidem proximis diebus, iniquitatis filius Thomas de Foix dominus de Lescu (*frater*) dilecti filii Odeti etiam de Foix domini de Lutrech pro carissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum rege Christianissimo in ducatu Mediolani gubernatoris locumtenens, nescitur quo nisi maligno spiritu ductus, civitatem nostram Regii hostili manu invasit, et nisi ipsius civitatis gubernator ac illius populus viriliter se opposuerint, illam occupasset crudeliterque depopulasset. Qui, postquam dictæ civitatis capienda ac diripiendæ omnem occasionem et spem sibi ablatam fuisse vidit, eius villas et agros depredatus est, et ut maiori iniuria et damno nos et dictam Sedem afficeret, sal quod juxta conventionem et pacta inter nos et eandem Sedem ac præfatum Franciscum Regem inita per nostros Camerae apostolicæ officiales in dicto Ducato Mediolani vendi debeat valoris quinquaginta milium ducatorum ad manus suas, dictis officialibus ejectis, recepit, nec his contentus ac damnis et ignominia nostris gaudens, fructus, redditus et proventus nonnullarum ecclesiarum et monasteriorum aliorumque beneficiorum ecclesiastico rum quæ Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac prælati et personæ ecclesiasticae in titulum seu commendam vel administrationem aut alias etiam ex concessionibus et dispensationibus apostolicis in dicto ducatu ac eius dominio obtinent, auctoritate immo verius temeritate propria et de facto in manibus etiam forsan laicorum sequestrare et partem illorum in proprios usus convertere et dissipare præsumpsit, in eius animæ periculum, Divinæ Maiestatis offendam, Apostolice Sedis auctoritatis contemptum, ecclesiarum damnum, ipsorumque cardinalium, prælatorum et personarum ecclesiasticarum grave præiudicium et jacturam, perniciosum quoque exemplum ac scandalum plurimorum adeoque notorie nos provocavit, ut cum nostro et dictæ Sedis honore tam manifestam injuriam et gravem offendam dissimulare seu conniventibus oculis transire non valamus; sed arma spiritualia quibus in similibus prædecessores nostri sempre usi fuerunt exercere cogamur obiterque eiusdem Thomæ locumtenantis eiusque fautorum et adhaerentium (*sic*) animarum salutique rebus omnibus est præferenda quantum in nobis est paterna caritate consulere, ne ut patres virgine parcentes aut medici aegrotis obsequentes perdi-

tionis et interitus causam illis dedisse videamur; firmiter nobis persuadentes quod ipsi ad cor sanum aliquando reversi, postquam effectum senserint medicinæ sibi per nos adhibitæ, nobis et dictæ Sedem tanto devoteiores erunt quanto salubriorem a nobis sanitatem fuerunt consecuti. Nos igitur ad quos supra alias pertinent ecclesiarum jura defendere et tueri ac similes excessus etiam per eosdem in eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis ecclesiasticis alias impune commissos et perpetratos ac dictorum præsumptorum et temerariorum ausus corrigere, ac cardinalium, prælatorum et personarum ecclesiasticarum jura et libertates defendere volentes, dictos præsumptores nisi ad cor reversi recipuerint tali plectere pena ut in posterum a similibus abstineant, sintque aliis in exemplum et tandem metus penæ sit meta malorum; dictorum cardinalium et prælatorum aliarum ecclesiasticarum personarum quæris etiam permoti, nomina cognomina titulos cardinalium, qualitates nobilitates et preminentias præsentibus pro expressis habentes aequitatem et justitiam id nobis suadentibus, ex nostra certa scientia et matura deliberatione præhabita, præfatum Thomam locumtenantem eiusque complices fautores et adhaerentes cuiuscumque dignitatis, nobilitatis, præeminentiae et conditionis existant, nec non dictorum fructuum et salis sequestratores custodesque, distributores seu dispensatores ac eis auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte quovis quæsito colore præstantes, etiam si consiliarii regii fuerint, in virtute sancte obedientiae ac sub poenâ infrascriptis quas contras facientes ipso facto incurrire volumus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium monemus, quatenus infra duodecim dierum spatium post publicationem præsentium in locis infrascriptis faciendum, computandorum quorum quatuor pro primo, et quatuor pro secundo et reliquos quatuor dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica assignamus de damnis illatis satisfacient, ac sequestra et arresta prædicta tollant, revocent, ac revocari et tolli faciant et permittant, et ablatos fructus vel ipsorum et salis justam estimationem restituant, ac ipsos cardinales et prælatos ac personas ecclesiasticas et Cameram ad perceptionem integrum omnium et singulorum fructuum sequestratorum et arrestatorum ac salis huiusmodi respective restituant et reponant, ac ipsos fructus, redditus et proventus eis in sal ipsi Camere percipere pacifice permittant, ac de illis eisdem cardinalibus et prælatis ac personis seu eorum procuratoribus nec non Cameræ et illius officialibus a tempore dicti sequestri